

EXEMPLUM.

Querenda sit Asc. R. Declinatio, & Angulus respondens puncto Eclipticae 0. 7. 12. X. Igitur cum 0 X excerpuntur Asc. recte gradus integri 332, ex columella sc. cui subiectum est signu X, unum ex ascendenti Semicirculo; ex columella vero Scrup. communium excerpuntur 6. 17. ex intercolumnio Incrementum 572. Si id multiplicetur in Scrupula 7. 12. Gradibus integris adhaerentia, consuecuntur 4118; deleta vero figura ultima sunt 412, hoc est 6. 52. pars proportionalis. Eadem compendiosius habetur sic; Incremento desunt 28. ad implenda 600. Hec in 7. multiplicata, fiunt 201, unde abscisa ultima sunt 20, que aufer a 7. 12. restat 6. 52. pars Proportionalis quae prius. Adde igitur illam ad 332. 6. 17.; fit quae sita Asc. recta 332. 13. 9.

Fol. 24. Titulus in calce transpositos refertur.

Cum eodem 0 X excerpitur Declinatio 11. 30. 43. Intercolumnii decrementum est 212. quod in 7. 12. multiplicato, fiunt 1526, & rejecta ultima, 153, id est 2. 33. subtrahenda, ut sit iusta Decl. 11. 28. 10. Estq. Meridionalis, ut signum.

Sic Angulus ad 0. X. 69. 20. 36. Decrementum 113, quod ductum in 7. 12. dat 813. & abscisa ultima, 81, hoc est 1. 21. ut sit Angulus iustus 69. 19. 15. & is ad sinistram, quippe formatus ab arcu sequenti, Semicirculi ascendenti.

Si punctum Eclipticae fuisset oppositum 0 Promota mansissent eadem, solum Asc. recte gradus seu Tempora pro 332 fuissent 152. ex columella sc. cui signum W suppositum: Et Declinatio fuisset intelligenda septentrionalis, ut signum M; deniq. Angulus fuisset ad dextram Meridiani, in semicirculo quippe descendenti, formatus ab arcu antecedenti.

PRÆCEPTUM 32. Meditatio Calis


Sed usui venit etiam, ut data Ascensione recta, sit excerpendus arcus Eclipticae coarctans in sphaera recta, seu caelum unâ medians, ejuq; Declinatio, &c. Tunc quere dati arcus Aequatorii seu Ascensionis rectae, Tempora integra, in aliqua quatuor columellarum, ejuque signum superflans (in primo Semicirculo,) seu substans (in secundo) exscribe, nec non & gradum integrum in ejuisdem lineae margine competenti: Deinde compara Scrupula datæ Ascensionis adhaerentia, cum appendice scrupulariâ Temporum integrorum, in columella communi, minusq; a majori aufer, differentiam in Secunda converte, & apposita cyphra divide per laterale Tabulae incrementum vel decrementum, prodibunt Scrupula Prima, apponenda ad exscriptum Gradum integrum, si major fuit appendix data; subtrahenda si minor. De scrupulosiori Secundorum collectione supervacuum est verbosius agere.

Ut si detur Asc. recta 332. 13. 9. queritur arcus Eclipticae respondens. Ergo Tempora 332. inveniuntur in prima Tabula parte, in una columellarum dextrarum, cui suppositum est signum X, quia in semicirculo posteriore sumus; in margine dextero respondet Gr. 0; in columella communi 6. 17. cum detur nobis appendix major 13. 9. Subtractione facta remanebit 6. 52. quae sunt 412. Incrementum est 572, per hoc divide 4120. (apposita sc. Cyphra.) prodit 7. & residua sunt 116, quae sunt ad

572. ut 12. ad 60. Est ergo 7. 12. appendix apponenda, ut sic arcus respondens, 0. 7. 12. X.

Ita si detur Asc. R. 341. 20. 29. & sit excerpenda Declinatio illi adscripta. Ad 341. 32. 43. in venio adscriptam Declinationem 7. 50. 46. Incremento Asc. recte; 561. Superatur data Ascensio per 18. 3. quae multiplicata in decrementum, produnt 4090. quae divide in Increm. Asc. rectarum, produnt 7. & parum aliquid. Ergo 7. & parum aliquid, sunt apponenda ad 7. 50. 46. hoc loco; ita sit declinatio quae sita, 7. 58. 0. satis exquiritur. Qui vult agere accuratius, is recurrat ad Heptacosada, componatq; Logg. 22. 40. differentiae Declinationum integrae, & 18. 3. à summa auferat Log. 56. 7. differentiae Asc. Rect. residuum ut Log. Logisticum, ostendet 7. 17. ut prius.

97345
120120
6721
210743



CAPUT XIII.

DE AMPLITUDE ORBITIVA: ET DE DIFFERENTIA ASCENSIONALI, ejuq; Tabulae Synopticae us.



In doctrina Sphaerica de Primo Motu, per dati puncti Eclipticae vel Stella declinationem, computari solet Differentia Ascensionalis, ut ea cum Asc. recta ejus puncti composita, constituat Asc. obliquam, Solent autem Asc. obliquae describi per singulos gradus Alt. Poli; ut dato puncto Aequatoris oriente, possit excerpere punctum Eclipticae coarctans.

Et si verò non tantum Stellarum fixarum ortus, occasus, emersiones, occultationesq; sed etiam calculus Eclipsium Solis, totam hanc partem doctrinae Sphaericae varie usurpant: nec loca terrarum, quibus obvenit quaelibet phasis Eclipsios, sine asc. obliquis, nec Parallaxe, sine notione gradus Orientis computari possunt: non fuerunt tamen Tabulae directionum Regionum montani, non, qui eas contineant, Reinholdi, in hoc etiam opus transcribenda: cum eas dudum Maginus in suo primo mobili repetierit, extenteque vulgo exemplaria, quae quis ad calculum Eclipsium, secundum Tabularum istarum præceptiones adhibeat.

Asc. Obl. non cessitas.

Tabulae cur hic omissa.

Cum igitur ob causam dictam omiserim tabulas Asc. obliquarum ipsas; ut tamen hic defectus ex nonnulla parte compensaretur; & ut nostra tabula Asc. rectarum, imprimis verò, Canon ipse Logg. Semicirculi, ut hæc inquam Operis hujus partes necessariae, ad usum tanto plures accommodari possent, visum est præcepta ipsa tradere, ex quibus partes Tabularum Primi motus omille computantur; quantum quidem usus RUDOLPHINARUM requirit.

DATO PUNCTO SPHERAE quocunq; ejuq; Declinatione ab Aequatore, indagare ejus Amplitudinem Orbitivam.

De Amplitude Orbitiva.

Logarithmo Declinationis, aufer Logarithmum Altitudinis Aequatoris (non Poli

PRÆCEPTUM 33.

051
049
055
045
060
040
100
150

Ende
Anfang